



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd incantationes & magicæ artes laquei diaboli sint. xl.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quod incantationes & magicæ artes laquei diaboli
sint. Cap. XL.

Admoneant sacerdotes fideles populos, & nouerint *Ex dictis*
magicas artes, incantationesque quibuslibet infirmi- *August.*
tatibus hominum nihil posse remedij cōferre, non anima-
libus lāgentibus claudicantibusve, vel etiam moribundis
quicquam mederi, sed hæc esse laqueos & insidias antiqui
hostis, quibus ille perfidus genus humanū decipere nititur.
Et si quis hæc exercuerit, clericus degradetur, laicus anathe-
matizetur.

De illis, qui salutem non à Sa'uatore, sed ab eius crea-
tura requirunt Cap. XLI.

Omnia sapientia à domino Deo est, & apud illum fuit *August.*
semper, & est ante æuum. Arenam maris, & pluuia *in libr. de*
guttas, & dies seculi quis dinumerabit? Altitudinem cœli, & *cumtate*
latitudinem terræ, & profundum abyssi quis mensus est? *Dei.*
Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inuestigabit?
Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ
ab æuo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus
illius mandata æterna. Qui enim sine saluatore salutē vult
habere, & sine vera sapientiā æstimat prudentem se fieri
posse non sanus sed æger, non prudens sed stultus, in ægri-
tudine assidua laborabit, & in cæcitate noxia stultus, & de-
mens permanebit. Ac proinde omnis inquisitio, & omnis
curatio quæ à diuinis & magis, vel ab ipsis dæmoniis in ido-
lorum cultura expetitur, mors potius dicenda est, quàm
vita. Et qui ea sectantur, si se non correxerint, ad æternam
perditionem tendunt. Psalmista dicente: Omnes dij gen-
tium sunt dæmonia. Qui per deceptos homines alios deci-
pere quotidie gestiunt, vt perditionis suæ faciant eos esse
participes. Itaque hæc vanitas magicarum artium, ex tra-
ditione angelorum malorum, in toto terrarum orbe pluri-
mis seculis valuit per quādam scientiam futurorum & in-
fernorum, & per inuentiones eorum inuēta sunt aruspicia,
augurationes & ipsa quæ dicantur oracula, & Nicromātia.

De eadem re. Cap. XLII.

Nec mirum de magorum præstigiis, quorum in tantum *Ex dictis*
prodire maleficiorum artes, vt etiam Mofi simillimis *eiusdem.*
signis resisterent, vertentes virgas in dracones, aquas in
sanguinem, cum fertur etiam in gentiliū libris, quod quæ-